conceptibus fictis arridens ingreſſum apud Sereniſſimum inveniebat. Literæ ſatis bonæ & honeſtæ erant compoſitæ; verùm quia dulciſugæ Apes ex floribus mel, econtra venenoſæ araneæ toxicum ſuum ſugunt; ſic & tu Ceporine feciſti, florilegium bonum habuiſti, ſed venenum placuit plus quàm favum; vade ergo cum felle tuo, nos mel retinebimus.

## CAPUT VII.

### *Belgici Officiales uxores pro ſalute maritorum monent, uxores Gelriam proficiſcuntur pro levando à Magiſtratu atteſtato.*

ACta jam prænarrata nihil involvebant, quàm futuram Innocentium perniciem; quia inimici perſonam Judicis repræſentabant, quòd ſatis diluculo perſpicientes quidam juſtitiæ amantes Officiales uxores in ſecreto monent, ut ſibi de bono conſilio provideant, nihil certius eſſe, quàm cervicibus maritorum inſidias ſtrui, addentes: licèt nobis ex omnibus ſatis Innocentia illorum manifeſta appareat, & nullus noſtrûm ſit, qui de aliquo crimine quempiam Maritorum veſtrorum inſimulare poſſit; attamen attendite, & cavete in tempore adhuc opportuno. Inter alios quidam reformatæ religionis Scabinus interrogat Scriptorem Prothocolli Gerardum Brouwer: quid videtur tibi de his negotiis, apparetne quædam veritatis umbra? reſpondet Scriba: *Wat ſou daer aen zyn, den Schelm leuget all wat hy ſeydt*, hoc eleganti teſtimonio ſpurciſſimum iſtum Textorem indigitans. Inviſerat quoque hujus urbis Conſiliarius quidam negotiorum gratiâ Hagam Comitis cognomine Petrus Janſſen de Boſſche, hic à quo-

quodam Ampliſſimo Generalium Statuum Ordine interrogatur, num quidpiam veritatis rei huic, ſive conſpirationi fictæ ineſſet. Reſpondet Petrus: non credo eſſe verum. Ait alter: nec Præpotentes Domini Ordines fidem ullam habent. Sperabant Matronæ fore ut Judices pro officii ſui dignitate & æquitate Innocentes omnes denuntiaſſent; verùm videntes cauſam de die in diem protrahi, maritósque captivos detineri, & ſe eorundem grato conſortio excludi, unanimiter reſolvunt pro fragilitate, & poſſibilitate fœminei ſexûs talia arma & media arripere, quibus (laus ſuperis) Dominus Deus bonum fauſtumque exitum concedere dignatus eſt.

Tendunt igitur Gelriam Petronella Exken, & uxor Elberti Voeſt, Prænobilem & Generoſum Dominum Gubernatorem de Verdugo inviſentes; illatas injurias ei aperiunt, & conſilium implorant, addentes; quâ viâ hæc grandia mendacia ſupprimi poſſent, nimirum Excellentiam ſuam ſub amictu ruſticali Gochiæ fuiſſe. Gubernator ſummopere condolens ait: Intentio mihi fuit Gochiam tendendi, ſed dum hæc audio, nollem propter omnia bona mea hoc contigiſſe, ſed quomodo vos miſeras juvabo, quia me de impartialitate accuſabunt; verùm bono eſtote animo, cras ſenatum congregabo & cum eodem deſuper tractabo, ſed dicite quâ me die Gochiæ fuiſſe volunt. Petronella Exken ex aliquo Officiali acceperat Textorem dixiſſe 23. Jannuarii. Nota quòd hâc die Gubernator cum Generali Gelriæ Præceptore, Conſulibus, quibuſdam Civibus & Ruſticis fuerat Weſtphaliæ apud Generoſum Dominum Gubernatorem Ludovicum de Velaſco. Hoc atteſtatum in bonam formam redigitur & à prædicto gubernatore,

Con-

Consulibus, & toto Senatu cum omni solennitate ad talem actum requisitâ subscribitur. Addit Gubernator particulariter juvans, sub splendore Nobilitatis suæ, sub veritate honesti viri, sub salute animæ, sub exclusione regni cælestis se totâ vitâ suâ Gochiæ non fuisse. Quis, obsecro, talia jurare vellet, si mali conscientiam circumferret.

## CAPUT XXIII.

### *De confessione cujusdam Fabricatoris perspiciliorum, qui notitiam falsarum istarum Literarum habebat.*

HOc ergo attestato supra nominatæ Matronæ instructæ Gochiam redeunt ibidem intelligentes effractionem carceris à Petro Exken factam, nec non abductionem quorundam captivorum Clivos: quare bono animo hilares cogitabant, si hæc materia à discretis Justitiæ administris examinetur, veritas eò citiùs patebit. Verùm hi susurrones modò aures Regiminis falsis mendaciis obturaverant, & oculos veneno suo fuscinaverant, ita ut Justitia hîc denuo exulare cogeretur. Matronæ ulteriùs levant attestata & facilè impetrant à Magistris præfati Textoris, apud quos magis personam furis quàm honesti servi exercuerat. Dum jam promiscuè de Epistolâ Domino Exken traditâ inter vulgus garriretur; accidit, ut hoc audiret quidam perspiciliorum fabricator Religionis Anabaptisticæ, nomine Ryckwynus Gulghens: huic in mentem venit casus quidam cum Textore Gochiam Xantis tendente habitus. Nam quoniam proditores isti nomen Presbyteri Gerhardi Xantensis ignorabant, sic pro formâ Textori in mandatis dederant,